

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Iudex siue iudicium a cum fonte primo

Nolite iudicare.

Hoc loco nichil aliud nobis precipi existimo nisi ut ea facta que dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretetur. Quod enim scriptum est: a fructibus eorum cognoscetis eos. De manifestis dictum est que non possunt bono animo fieri.

Sunt quedam facta media que ignoramus quo animo fiant quia in bono et malo fieri possunt de quibus temerarium est iudicare maxime ut condempnemus.

Augustinus contra Manicheos libro II.

Et quoniam, cum ista uel procurantur in futurum uel, si causa non est quare illa inpendas, reseruantur, incertum est quo animo fiat, cum possit simplici corde fieri, possit et duplici, oportune hoc loco subiecit:

NOLITE IUDICARE,

NE IVDICETVR DE VOBIS; IN QVO ENIM IVDICIO IVDICAVERITIS, IVDICABITVR DE VOBIS; ET IN QVA MENSURA MENS FVERITIS, REMETIETVR VOBIS (Mat. 7:1-2).

Hoc loco nihil aliud nobis praecipi existimo, nisi ut ea facta quae dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretetur. Quod enim scriptum est: EX FRVCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS, de manifestis dictum est, quae non possunt bono animo fieri,  
sicuti sunt stupra uel blasphemiae uel furta uel ebriositas et si qua sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur dicente apostolo: *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Nonne de his qui intus sunt uos iudicatis?*

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2, 18, 59 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., pp.154-5, ll.1346-1360).

Sunt ergo quaedam facta media, quae ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus.

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2, 18, 60 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.156, ll.1375-1378).